

per literas incufans, deosq; inuocās, testes minatus est, si acie uicta esset, se illā cruci affixurū. Lecta epistola ridēs Semiramis, Non uerbis, sed uirtute certandum esse respōdit. Deinde ad Indū perueniens, inuēta regis classe ad certamē parata, & ipsa suas naues electis militibus instruxit. Ibi durū certamen cōmissum est, ac diutius magnis utrinq; uiribus pugnatū. Tandem superata Indorū classe, qua in pugna ad mille naues submersę sunt, multiq; mortales capti, pōtem, quō facilior esset trāsitus, supra flumen cōstruxit: præsidioq; ab utroq; latere imposito, omneis copias traduxit, in insulas quoq; ac urbes in flumine sitas cepit, ad centū milia hominū in seruitutē redactis. Classe amissa Indorū rex simulans suas copias procul à flumine retro abduxit; ut hostes id formidine factum rati, fluuiū transirēt. Quo cognito Semiramis cum ex uoto res cederet, parte copiarū ad pontis custodiā relicta, Indos cum reliquo exercitu persecuta est. Precedebāt elephantorū simulacra, quō regij exploratores elephantorū apparatu cōspecto regi metum inijcerent. Verum ea simulatio haud diutius latuit. Nam admirantibus Indis unde tanta illi elephantorum copia suppeteret, quidā ex Semiramidis exercitu nocte capti rem prodidere. Quapropter confusus suis uiribus rex, fictionem elephantorum predicens, ut sublato metu acrius pugnam inirent, copias omneis aduersus Assyrios eduxit. Instructa quoq; acie Semiramis proficiscibatur. Appropinquantibus exercitibus, rex equites ac currus in prima acie ante phalangem destinauit, Semiramis simularis elephantis aduersus equites præmissis, in totoq; certamine regios equites fudit. Assueti enim ueris elephantis equi, noua forma olfactuq; infueto turbati sunt. Itaq; pars in hostes equorum impetu, pars in alia loca defertur. Semiramis cum electis militibus uictoriam secuta, in primis pugnans, Indos in fugā uertebat. Quibus ad phalangem refugientibus, Staurobates haud ea re percussus, aciem peditum precedentibus elephantis promouit. Ipse in dextro cornu pugnans, superq; ualidum elephantem insidens, aduersus reginam uirili animo proficiscitur, casu eodem in cornu pugnantem. Veri elephantis contra simulatos ibant, neq; pari robore pugnabatur. Superiores erant regij, magnamq; edebant Assyriorum cædem, partim qui elephantorum pedibus contererentur, partim qui interirent aut lacerati dentibus, aut proboscide absumpti. Cum magnus intersectorum alterius super alterum cadentium cumulus fieret, timorq; ac terror omnia compleisset, nulli iam ordinem seruabant. Ita omnibus fermē Assyrijs ad fugam intentis, rex Semiramidi casu obuius primū sagitta brachium eius, deinde iaculo humerum sauciāuit. Regina haud quaquam uulnere (leue enim erat) exterrita, cum equum ascendisset, belua insequente fermē capta est. Omnes in fugam uersi, ad naues tendunt. Insequētib; Indis magna cædes facta est per loca tanta multitudini angusta, cum equitibus peditibusq; qui ad Pontem tendebant, immixtis, alter alteri impedimento esset, ut neq; fugæ neq; salutis ullus daretur locus, sed ipsi suomet mutuo oppressi interirent. multi ex utroq; Pontis latere præ fugientium multitudine in aquam præcipitati sunt. Semiramis, cum maior eorum pars qui bello superferant, flumen transissent, pontē (is super naues fabricatus erat) discidit. Naues in plures partes diuisæ, delatæq; per flumen, in diuersa loca applicuere, multis Indorum qui illas insequendo ascenderant, ut fluminis submersis. Rex multis prodigijs augurumq; responsis monitus ne flumen transiret, finem persequendi fecit, Semiramis permutatis captiuis in Bactrianos rediens, maiorem exercitus partem dimisit. Paulo pōst detectis quas ei Ninus per eunuchum parauerat insidijs, omniq; iniuriā iuxta Ammonis respōsum remissa, cum omnibus filio ut regi parerent præfectis mandasset, euestigio euanuit, ad deos, iuxta oraculi respōsum, ut creditum est, translata. Quidam fabulantur, illam in columbam fuisse conuersam, compluribus enim aibus domum ingressis, & illam cum reliquis auolasse uolunt. Quo factum est, ut Syrii colum-